



Theodemir Ostrogothorum rex ob varias corporis & animi uirtutes electus fuit, an. Christi quadringentesimo septuagesimo, eo tempore cum Leo Cæsar in Oriente rebus præesset, atque domestica fraude pene oppressus sese Constantinopoli contineret. Eam occasionem Theodemir adeptus, Illyricum uastauit, atq; Orientem occupare conatus est. nec prius ab ea uastatione cessauit, quam Pannonia & Mœsia ipsi à Leone concessa fuerint. Nam Ostrogothi prius Athilæ filios ex ijs locis eiecerant, atq; in Scythiam fugarant. Itaq; Imperator necessitate coactus, cum Gothis foedus iniit, datusq; Theodoricus Gothorum regis filius

Leoni obses. Cum autem Valamir Theodemiris frater in eo foedere neglectus fuisset, Leoni & fratri iratus, in Scythiam mouit, eo consilio, ut si rem feliciter ibi gessisset, mox circa fines Orientis imperium turbaret. Cæterum conferto cum ea gente prelio, mortem occubuit. Theodemir fratre extincto Dacia, Mœsia, & utriusq; Pannoniæ regno potitur. Vnde eius potentia omnibus finitimis populis formidulosior facta. Has etiam opes Leo ueritus, ut aliqua sibi gratia regis animum conciliaret, Theodoricum filium ultrò ei restituit. Theodemir autem, qui magna prudentia erat præditus, ne gratia à Græco principe uinceretur, inducias priores in pacem commutauit. Postea Theodericus adolescens adhuc, à patre aduersus Sarmatas cū exercitu missus, prosperè in hostem dimicauit, Bacho eius gentis rege interfecto. Itaq; Theodemir ubiq; uictor, sua regna fortiter administrauit, atq; moriens ea tandè Theodrico filio reliquit. Blon. deca. 1. lib. 2. Ionand. Procop. Sab.